



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

30. Vtrique omnia spectra desperationis, fati, ignaviae &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædestinationem cum libero arbitrio facile fugant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

CAPVT TERTIVM.

Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia,
ac discrepantia.

Cum igitur satis declaratum sit, pariter & iisdem de causis utrosque & prædestinationem & gratiam, quibus tunc Augustini doctrina, & nunc vehementer oppugnatur, averfatos esse, & iisdem querimonijs expostulasse; nunc præcipue videndum est, quam utrique prædestinationem & gratiam, & quibus ex causis excogitaverint, quo colore induxerint, quibus argumentis asseruerint, & plausibiles fecerint. Ex hoc enim in primis constare poterit, quid convenientiæ ac discrepantiæ in eisdem pateat aut lateat.

NOTA XXX.

Utrique omnia spectra desperationis, fati, ignaviae &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædestinationem cum libero arbitrio facile fugant.

Massiliensibus, ut alibi dictum est, duo generaliter in sancti Augustini doctrina displicebant, prædestinatio ab ipso prædicata, & effectus ejus gratia. Illa, quod præcurreret omnem humanæ voluntatis motum: hæc, tum quod nimis discretè dateretur, & negaretur; tum quod nimis efficaciter in voluntatem influeret. Ex hisce fontibus omnes eorum querelæ, & insuperabiles, ut eis videntur, difficultates fluunt. Medendis omnibus novum prædestinationis & gratiæ genus ita machinati sunt, ut causa effectui, & effectus causæ suæ accuratissimè responderet, & utraque ad amissum libero arbitrio attemperata, nullam umbram desperationis, ignaviae, necessitatis, fati, & similibus terribilium retineret. Id ipsum recentiores tam dexterè imitati sunt, ut de ingenti illa, quam attulerunt, conciliandæ prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio facilitate, deque solatio animorum quod pepererunt, non semel gloriantur. Molina enim: *Quod tam facile ac perspicue illa quatuor (præscientia, providentia, prædestinatio, & reprobatio) ex capite præscientia media cum libertate cobareant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi omnia tradidisse.* Et Lessius concludit: *Non esse maiorem difficultatem in concilianda prædestinatione cum libertate arbitrii, quam in concilianda præscientia cum eadem libertate.* Et crebrò inculcat, se solidum animabus solatum attulisse.

Sanè præstiterunt hoc ipsum non minus feliciter Massilienses, & recentioribus viam straverunt in omnibus, quæ se velut magna conciliationis istius mysteria reperisse venditant. Quod ut ad oculum curvis apparere possit, Deo juvante demonstrabimus, quàm brevissimè fieri possit, aut penè nihil, aut ni-

hil omnino in recentiorum esse sententiâ, quod non Massiliensibus tanquam invento-ribus & magistris debeant: & si quid ijs fortè non debeat, hoc causam eorum non medio-criter deteriorem facere. A voluntate Dei, tanquam temporalium effectuum causâ, quos per gratiam in humana voluntate operatur, auspicabimur.

NOTA XXXI.

Statuunt in Deo propositum generale restaurandi totum genus humanum.

Primò igitur recentiores, ut omnia illa immania, terricula ex gratia & prædestinatione fugant quæ fatalitatem, libertatis eversionem, mœrorem, desperationem, mortem, ut Lessius putat, hominibus non tantumquam afferunt, statuunt in Deo voluntatem quandam seu propositum generale, quo genus humanum in Christo restaurare, & salvum fieri voluit: idque non hos vel illos liberandos, relictis ceteris, suâ solâ voluntate decerpando; sed omnes omnino, nemine excepto.

Id ipsum eodem modo tradiderunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium. Vtrumque notius est, quàm ut accersitis testimonijs confirmandum sit; & ex sequentibus patebit manifestius.

NOTA XXXII.

Cujus basin collocant locum Apostoli: Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

Secundò doctrinæ istius basin quasi immobilem recentiores Apostoli Pauli locum collocant: eò quod perspicuis verbis dicat: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* De quo Molina: *Quo fit, ut universum verum sit, Deum ex parte sua velle omnes absque ulla exceptione salvos fieri.* Et alibi: *Meditandus est Deus voluisse ex animo promiscuè omnes homines iam in Adamo lapsos in vitam æternam perducere.* Idem eodem modo & Suarez, & Lessius, & ceteri docent.

Id ipsum fundamentum tanquam suæ sententiæ inconcussum statuerunt Massilienses, & semper eodem modo, ut nunc recentiores, Augustino, Prospero, & veris gratiæ defensoribus objecerunt. Et ubi est illud, inquit Prosper, quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines vult salvos fieri &c. Hoc ipsum verò nullis Catholicorum argumentis expugnabile esse apud eundem Prosp. significant. *Nec vacillare illud, quod Deus vult omnes homines salvos fieri.*

A a a

N O.

Molin. q. 14
a. 13. disp. 53
memb. 2.

Lib. de præ-
dest. sect. 6.
num. 8c.

Vide præfat.
ad Lector.

1. Tim. 2.
2. Tim. 2.
1. Tim. 2.
2. Tim. 2.
1. Tim. 2.
2. Tim. 2.

Less. de præ-
dest. sect. 6.

Pros. Epist.
ad Rufin.

In Epist. ad
August.